

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. XXV. De glandulis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

a venulis serosis resorbetur, partim ex tela cellulosa a vaforum lymphaticorum valvulorum radicularum hauritur, partium adiacentium motu proprium, glandulis conglobatis advehitur, in illis novo sero arterioso nobilitatur, & venis maxime maioribus, cisternæ lumbari, ductuique thoracico, infunditur, sanguini chyloque admiscetur, ac denique ad cor relatum sanguini diluendo nobilitandoque inservit, novumque cum illo circuitum subit.

C A P. X X V.

De glandulis.

*Glandula.* Cum ad humorum seroso-lymphaticorum secretionem, nobilitatem atque circuitum variæ glandularum species calculum suum conferant, de his scitu necessaria iam propositurus sum. Cum vero illæ partes, quibus glandularum nomen Veteres imposuerunt, respectu structuræ, admodum inter se differant; ad conceptum de illis formandum vix aliæ notæ, quam a forma atque usu desumptæ, supersunt; hinc corporis humani machinulas ad glomeris figuram, sive oblongæ, globosæ aut depressæ sint, accedentes, ac humorum serosorum secretioni ac circuitui destinatas, glandulas esse, statuo.

*Schol.* Partes quasdam, ob peculiarem carnem seu habitum, vel ob singularem faciem externam, Veteres glandulas nominasse, easque

sensu facilius distingui, quam definitione exprimi posse, *Laur. Heister* in compendii anat. tom. II. p. XVII. recte indicavit.

## §. V. II.

Pro structuræ diversitate, in varias species glandulæ dirimuntur. Glandulæ simplices, follicatæ, sebaceæ, atque aurium cerumen fecernentes *glandularum spuriarum* speciem constituere possunt; Etenim respectu structuræ ab aliis glandulis multum recedunt. Ex variis vasis nervulisque inter se convolutis, tela cellulosa connexis, & membrana communi tectis *glandula veræ* constant. Has, prout ex unica vasorum dictorum convolutione, quales mucosæ & lymphaticæ vel conglobatæ sunt, vel ex pluribus inter se coniunctis, ac communi membrana comprehensis, constant, in simplices ac compositas dirimunt. Hæ iterum triplicem ordinem, nimirum *lymphatico-aggregatarum, seroso-conglutinarum, atque conglomeratarum* sistunt. Istæ ex pluribus glandulis tela cellulosa nexis & communi membrana conclusis ita factæ sunt, ut, præter vasa lymphatica valvulosa, nulli ductus excretorii compareant, v. c. in thyreoidea, thymo & capsulis atrabilaris. Illæ ex pluribus glandulis, cellulosa combinatis, ac communi membrana comprehensis ita structæ sunt, ut cuiuslibet ductus excretorius seorsim exeat, v. c. glandula lacrymalis, tonsillæ, prostatae atque corpus mammarum glandulosum. In his plures glomi

*Earum species.*

697002

vel acini, simili ratione nexi tectique, in ductus minores, hi iterum in maiores & denique in unum maximum colliguntur, ut in maxillaribus, parotidibus & utroque pancreate videmus. Vid. diff. de glandulis & venis lymphaticis, sub præsidio meo, Giesſæ MDCCLXV. habita.

*Schol.* Glandulæ sebaceæ, ferofæ, conglutinatae ac conglomeratae, humoribus serofis fecernendis destinatae, ad systema arteriosum, conglobatae & lymphatico-aggregatae ad vasorum lymphaticorum valvulorum systema pertinent.

### §. III.

*Sebacea.*

Glandulæ sebaceæ (cryptæ cutaneæ, folliculi cutanei) sunt machinulæ membranaceæ, sphaeroideæ, cavæ, in cute latentes, ductuque excretorio præditæ. His ab arteriis serofis serum adfertur, quod, dissipata parte fluidiore, viscidius fit, atque in mucum mutatur. Easdem in tota fere corporis peripheria adesse, probabile est, in primis tamen in fronte, palpebris, auribus, naso, labris, mammarum areolis, sub alis, ad scapulas umbilicum, in pene, scroto, veneris monte, glandis corona, cunni nymphis, ac labiis, nec non circa anum reperiuntur. Ductus serofi vel *glandulæ* ab *Hew.* *Meibomio* in epist. ad Joël. Langelottum de vasis palpebrarum novis, Helmst. MDCLXV, descriptæ, quas in hominum brutorumque tarsis, sub linearum albarum, cum arteriis cohærentium, forma, cerni-

mus, & quæ pone cilia ad extremum eorum limbum foraminulis aperiuntur & ferum glutinosum excernunt, nec non glandulæ aurium cerumen, in meatu auditorio externo secernentes huc pertinent. Illas *J. B. Morgagnus* advers. anat. I. tab. III. fig. 1. delineavit. De his epist. anat. VI. art. XXIII. glandulæ, inquit, cerumen secernentes, maiores ac minores, subrotundæ, colore ex fusco rubro præditæ, in meatu auditorio circum circa ad mediam fere eius longitudinem collocatæ sunt. Aurium cerumen flavum, viscosum, oleosum, saporis amaricalis, in oleo & spiritu vini solubile frangendis sonorum illabentium tremoribus, tympani exsiccationi impediendæ, atque infectis irretiendis destinatum est.

## §. III.

Glandulæ simplices veræ serosæ, vel *Gland. mucosæ*, variæ magnitudinis ac figuræ; *serosa.* hinc miliares, lentiformes &c. dictæ, ex mollibus vasorum extremitatibus structæ, tela cellulosa vestitæ, proprioque ductu excretorio præditæ sunt. In statu naturali ferum vel mucum, ad partium lubricationem ac defensionem, nec non ad secretionum atque excretionum quarumdam adminiculum, secernunt. Illas arctam cum arteriolis minimis connexionem habere, ex eo certum est, quod liquore in has adactæ illæ quoque infarciuntur. Vid. *Winslovii* diff. de modo, quo secretiones in glandulis

fiunt, dans les Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1711. p. 316.

§. V.

*Earum  
loca.*

Magnus glandularum serosarum numerus in labris, buccis, lingua, buccales, labiales, linguales palato uvula epiglottide, larynge, arteria aspera, bronchiis, pharynge, œsophago, ventriculo, intestinis, v. c. *Brunnerianæ* in duodeno, *Peyëriana* in reliquis intestinis, *Ruyschianæ* in toto primarum viarum tractu, in viis urinariis, vesicæ collo, urethra virili, ostio urethræ muliebris (prostatae Bartholini) in vagina utriculi, cunni nymphis ac labiis (odoriferæ), tendinum quorundam vaginis atque in articulationibus (*Haverianæ*) reperitur. Ex his in articulis motum manifestum habentibus synovia vel serum pingue, illorum lubricationi inserviens, largiter secernitur. Vid. *Clopton Havers osteologia nova* ex editione Angl. Londinensi translata, Franc. & Lips. MDCXCII. Glandularum *mucosarum Comperi* duæ maiores ante prostatam, inter ortum musculorum penis acceleratorum, in utroque urethæ latere, tertia minor non semper obvia magis antrorsum, prope urethræ bulbum intra huius corpus spongiosum iacent, longosque ductus excretorios fere medio urethræ immittunt. Vid. *Histoire de l'Acad. Royale des Sciences* 1700. p. 40. 41. *Glandula mucosa Littrii* inter duas urethræ membranas, ante prostatam latens in eandem ductus excretorios emittit.

De intestinorum glandulis vid. *Fr. Ruyschii* epist. anat. XI. tab. XII. fig. i. De glandulis linguæ *J. B. Morgagni* advers. anat. I. tab. I. arteriæ asperæ tab. II. nympharum tab. III. penis tab. III. Glandulæ molares parvæ in utroque latere inter muscolum masseterem ac buccinatorem latentes, prope dentem molarem ultimum ductum suum emittunt. Sub lingua octo glandulæ serosæ parvæ, a glandula maxillari ad frenulum usque in recta linea sibi invicem appositæ sunt, & earum quælibet ductum, protuberantiam parvam formantem, in utroque linguæ latere emittit. Vid. *Aug. Frid. Waltheri* exercitatio de lingua humana, novis inventis VIII. sublingualibus salivæ rivis nunc ex suis fontibus, glandulis sublingualibus, eductis irrigua, Lips. MDCCXXIII.

## §. VI.

Ex pluribus glandulis serosis minoribus *Serosa con-* cellulosæ inter se unitis constantes, com-*glutinata.* muni membrana comprehensæ sunt, & pluribus ductibus excretoriis, non autem, ut conglomeratæ, uno communi, gaudent. Glandulæ lacrymales, tonsillæ, prostata, & respectu structuræ, non autem liquoris secreti, corpus mammarum glandulosum huc pertinent.

## §. VII.

Glandula lacrymalis, in oculi angulo *Glandula* minori, sub interna palpebræ superioris *lacryma-* tunica, latens, ex sex septemve glandulis *lis.*

ferosis, tunicae communi inclusis, constat, totidemque ductus excretorios conspicendos praebet. Ex glandulae huius super digitorum inversae compressaeque ductibus serum profluit, quin ex vitulorum glandulis lacrymalibus eodem modo tractatis ipsi ductus excretorii ex orificiis suis protuberant. Bruta etiam glandula lacrymali minori, in palpebra eorum tertia latente, gaudent, quae duobus ductibus excretoriis praedita est. Serum, vel lacrymae, ex illa excretum bulbo oculi irrigando illapsaque eluendo inservit. Vid. *Alb. de Haller* icon. anatom. fascic. VII. tab. VI. fig. II. Quamdiu modicus illarum proventus est, per puncta lacrymalia, adiuvante caruncula lacrymali, per limacum cornua, & saccum lacrymalem, in nasi cavum insensibiliter deferuntur. Aucta vero illarum quantitate, quidquid angusta ductuum lacrymalium orificia subire nequit, in genas delabitur.

#### §. VIII.

*Tonsilla.*

Tonsillae sunt glandulae serosae conglutinatae tela cellulosa iunctae, amygdalarum figuram aemulantes, in faucibus, iuxta uvulam, inter musculos glosso- & pharyngostaphylinos sitae, quae per varias aperturas irregulares serum, faucibus lubricandis destinatum, excernunt. Eas rarius duplices inveniri, *J. B. Morgagnus* in epistola anatom. VIII. artic. XVII. annotavit. In tumefactis dictae aperturae evidentius in conspectum venientes ab imperitis pro exulce-



rationibus perperam habentur. Vid. *Frid. Ruyschii* thesaur. anat. II. p. XXXV.

§. VIII.

Prostata, vesiculis seminalibus præstans, *Prostata.*  
&, ante vesicæ collum, urethram cingens,  
est corpus glanduloso-spongiosum, cordi-  
forme, robusta membrana cinctum, linea  
media superficiali in duos lobos apparenter  
divisum, & una alterave appendicula gau-  
dens, decem vel duodecim fassis multas  
glandulas parvas recludentibus constans, to-  
tidem foraminulis, iuxta montanum verum  
in urethram hiat, & liquorem serosum, se-  
mini pro vehiculo inservientem, emittit.  
Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. VIII. art.  
XVII. & *Memoires de l'Academie Royale*  
*des Sciences* 1700. p. 398.

§. X.

Mammæ corpus glandulosum, sub-  
durum, inæquale, inter utrumque pingue-  
dinis stratum collocatum, ductus lactiferos  
maiores versus papillam, minores ad areo-  
læ tubercula mittit. Illi prope papillam ana-  
stomosibus, circuli in modum, iuncti, se-  
ptem vel decem orificiis in papillam hiant.  
Ipsi vero pinguedini glandulæ Nuckii ad-  
mixtæ sunt, quarum ductus in lactantibus  
demortuis hydrargyri iniectione detegi  
queunt. Sanguinem ad mammæ nutrien-  
das & lac secernendum arteriæ mammariæ  
advehunt, & residuum eiusdem nominis

*Corpus  
mamma-  
rum glandu-  
losum.*

venæ revehunt. *W. Comperi anat. C. H. tab. XVIII. fig. V.*

## §. XI.

*Parotides.*

Glandulis conglomeratis parotides, glandulæ maxillares atque pancreas utrumque accensenda sunt. Parotides, glandulæ conglomeratæ insignes, inter meatum auditorium externum ac maxillæ condylum utrinque positæ sunt. Musculi masseteris partem regentes, cum musculo pterygeo interno, & processu zygomatico, multa cellulosa combinantur. Ex illis ductus salivalis Ste-nonianus vel superior, ex multis radicibus ortus, & tres circiter digitos transversos longus, & calamus stramineum crassitudine æquans, atque per genæ medium super masseterem oblique transiens, muscolum buccinatorem orisque membranam, inter secundum ac tertium dentem molarem, perforat, atque osculo suo arctiori, papilla interdum prædito, ori salivam immittit. Vid. *W. Comperi anat. corp. human. tab. XII. fig.* A carotidibus ac iugularibus externis vasa sua sanguifera, atque a quinto nervorum pari, nervulos suos potissimum habent; id quod etiam de maxillaribus aliisque oris glandulis valet. Vid. *Alb. de Haller icon. anat. fasc. III. tab. II.*

## §. XII.

*Glandula maxillares.*

Glandulæ maxillares Whartonii sub interno maxillæ angulo, inter muscolum digastricum atque colli cutaneum, iacentes,

ex multis parvis glandulis, cellulosa inter se coniunctis, & communi membrana circumdatis, compositæ sunt. Omnes hæ glandulæ canaliculis præditæ sunt, qui omnes in ductum maiorem, salivalem Whartonianum, vel inferiorem, coëunt, qui, muscolum mylohyoideum transgrediens, ut plurimum simplici, interdum duplici vel triplici ostiolo, iuxta frenuli radicem, in os aperitur. His duæ glandulæ sublinguales continuæ sunt. Vid. *Wilb. Comperi anatomia* C. H. tab. XV. fig. I. lit. M. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. I.

### §. XIII.

Pancreas est glandula conglomerata, in regione epigastrica pone ventriculum a liene versus duodenum extensa. Ex multis minoribus glandulis, cellulosa inter se connexis, structa, atque tunica communi oblecta est. A maiori eius extremitate, circa primam duodeni flexuram, parva quædam portio, pancreatis minoris nomine veniens, ad intestinum primum se demittit. Illius latitudo duos, longitudo octo novemque pollices æquare solet. Cum duodeno circa primam eius flexuram extremitas maior, prope lienem cum omento, vasorum interventu, extremitas eius minor, & cum mesocoli duplicatura eius corpus cohærent. Ex singulis eius glandulis canaliculi, lateralibus radicibus inter se connexi, in ductum communem coëunt, qui ut plurimum unicus, haud raro duplex, & valvulis, ut

M

reliqui ductus salivales, carens, medium fere pancreas, superficiei inferiori tamen paullo propius, transiens, quatuor vel quinque digitos transversos infra pylorum, plerumque communi cum cholidocho orificio, interdum proprio, oblique in duodenum aperitur. Pancreatis minoris ductus in ductum maiorem ut plurimum se immitit, interdum vero duodenum paullo inferius perforat. Ab arteriis duodenali, pylorica, gastrica magna, mesaraica superiori, in primis vero a splenica sub hoc viscere transeunte, arterias suas pancreas habet. Radices venosas cum vena splenica & mesaraica magna communicat. A plexu hepatico, splenico & ganglio plano, inter ganglia semilunaria posito, nervos suos habet.

*Schol.* Ductum pancreaticum Mauritius Hoffmannus, postea Prof. Altorfinus, in gallo indico Patavii MDCXLI. atque dein Wirfungius in homine primi demonstrarunt. Vid. *Thom. Bartholini* anatomia reformata l. I. c. XIII. & *Jo. Maur. Hoffmanni* dissert. in Horonii microcosm. p. CLXIII. atque in idea machinae hum. p. XLII.

### §. XIII.

*Conglobata.*

Glandulae conglobatae sunt plexus vasculorum ex vase lymphatico inserto ortorum, quae cellulosae interventu inter se nectuntur, in quem arteriarum ramuli, venarum radicae ac nervorum propagines immittuntur, omniaque membrana firma vasis rubris picta involvuntur, & tela cellulosa

cum visceribus, vasis aliisque partibus vicinis coniunguntur. Vid. *Dn. B. J. Felsi* diff. de glandulis conglobatis, Argent. MDCCLXXIII. *Jo. Christl. Kemme* diff. de glandulis conglobati generis, lympham conficientibus, Halæ Magd. MDCCLXXVII. *Jo. Gottl. Haase* diff. de motu chyli & lymphæ glandulisque conglobatis, Lipf. MDCCLXXVIII. In illas arteriolæ, cum venis lymphaticis valvulosis nullam connexionem habentes, serum, ad lympham refluam nobilitandam, easque nutriendas, infundunt.

## §. XV.

Glandulæ conglobatæ ad anteriorem in-<sup>Illarum</sup>ferioremque parotidis partem ac maxillæ <sup>loci ex-</sup>angulum incipientes, in colli lateribus ve-<sup>terna.</sup>nis iugularibus adpositæ sunt, earumque XIII. Whartonus numeravit. Pharyngis latera eiusque partem posteriorem quoque occupant, illarumque nonnullæ, ad exterius carotidis internæ latus excurrentes, capitis musculis adsident, & cervicalium atque occipitalium nomine veniunt. Colli etiam vertebris nonnullæ interdum vicinæ sunt. Postea diviso agmine extrorsum cum vena subclavia ad alas, ubi copiosissimæ sunt, tendunt, ibique *subclavia* & *axillares* nominantur. Axillares sub axilla, circa vasa sanguifera maiora, inter musculos pectorales ac dorsi latissimum iacent, & vasa sanguifera nervosque a vasis ac nervis subaxillaribus accipiunt. Quin harum glandularum nonnullæ in cubiti articulatione supersunt.

In regione inguinali insigne illarum, *inguinalium* nomine venientium, agmen quoque deprehenditur, ac musculos tricipitem atque sartorium, & vasa cruralia, a quibus ramulis donantur, sub glandularum *cruralium* nomine comitantes, in poplite disparent.

§. XVI.

*Loca interna.*

In pectore notabilis glandularum copia cum arteria aspera, imprimis in postica eius parte, divisionibus bronchiorum, œsophago, anteriore ac posteriore mediastini cavitate, pericardio, vena cava, ac ductu thoracico coniungitur, atque ad diaphragma usque descendit. *J. B. Morgagnus* l. II. de sedibus & causis morborum, epist. XXII. art XXI. glandulæ, inquit, *bronchiales* certissime de conglobatarum genere sunt, nec cum arteriæ asperæ cavo communicant. Ipsarum aliquæ per utramque pericardii faciem ad diaphragma usque sparguntur. Posteriori œsophagi superficiei, circa quintam dorsi vertebra, una vel duæ, raro plures glandulæ, *dorsales Vesalii* dictæ, adherent. Quandoque etiam in pharynge, inter musculos stylo-pharyngeos, glandulæ conglobatæ reperiuntur. Aliæ circa lumborum vertebra, in receptaculi chyliferi vicinia, nec non in pelvi ad vasa iliaca, hypogastrica & sacra, nec non retro intestinum rectum, inveniuntur. In senis corpore mortuo se glandularum catenam vasa iliaca, ab eorum origine usque ad femur, obducentem vidisse, *J. B. Morgagnus* l. III.

de sedibus & causis morborum epist. XLIX. art. XVIII. testatus est. In ventriculo circa cardiacam, arcum minorem, pylorum, ubi omentum cum illo cohæret, atque arcum maiorem, usque ad omenti gastro-colici finem, complures glandulæ conglobatæ conspiciuntur. Reliqua abdominis viscera, imprimis circa vasorum ingressum, v. c. mesenterium & mesocolon in toto suo ambitu, utrumque omentum circa origines suas, lien, renes, concava hepatis pars, maxime ad venæ portarum ingressum, & cystidis felleæ collum, eiusmodi glandulis quoque gaudent.

*Obs.* In senibus glandulæ mesentericæ multum decrescunt, quin nonnullæ fere disparent.

### §. XVII.

Dantur glandulæ compositæ communi membrana tectæ, ductu excretorio proprio haud præditæ, sed cum vasis lymphaticis valvulosis connexionem habentes. In subiectis iunioribus, corporis incremento opus habentibus, ad maiorem feri laudabilis copiam, atque lympham refluum nobilitandam, facere videntur. Glandula thyreoidea, thymus, atque, ex nonnullorum sententia, glandulæ suprarenales huc pertinent. In ætate profectoribus thymus fere disparet, thyreoidea autem & glandulæ suprarenales multum immiſcuuntur. Videatur *Dn. Phil. Henr. Bæcleri* diss. de thyreoideæ, thymi & suprarenalium glandularum in ho-

*Lymphati-  
ca aggre-  
gata.*

mine nascendo & nato functionibus, Argent. MDCCLIII.

§. XVIII.

*Glandula  
thyreoidea.*

Glandula thyreoidea, in fetu atque infante ampla ac mollis, corpore tenui, in duos lobos diviso, superioribus tracheæ annulis, extremitatibus vero crassioribus laryngi atque œsophago, interveniente tela cellulosa, utrimque adhæret. Duo arteriarum paria sanguinem illi advehunt, tres vero aut quatuor venæ iugularibus internis illum reddunt. Nervos a tertio paris octavi ramo, ab eisdem nervo recurrente atque ganglio, quod idem cum intercostali nectit, habet. Liquore subflavo ac subdulci glandula hæc turget, atque ad glottidis fibras mobiles servandas, & laryngem interius lubricandam, facere videtur. Vid. *Wilb. Comperi* anat. C. H. tab. XXIII. fig. VII. & VIII. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. II. tab. III. fasc. III. tab. III. fasc. VI. tab. I.

*Obs.* In canibus duplex thyreoidea oblonga atque teres, nimirum in utroque imæ laryngis & summæ arteriæ asperæ latere una adest, nullo isthmo inter se iunctæ. Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. VIII. art. XXX.

§. XVIII.

*Thymus.*

Thymus sub extremitate ossis pectoris superiore, inter mediastini membranas a pericardio, secundum aortæ situm, usque ad carotidum initium, imo interdum usque



ad glandulam thyreoideam protensus, est glandula ex duabus composita, oblonga superius rotunda, inferius in tres lobos divisa, ex mollibus acinis cellulosa unitis, pluresque lobulos formantibus, facta. Superiora atque inferiora eius cornua in medio distincta sunt, & ubi cohærere creduntur, absque violentia separari possunt. Arterias modo a subclavia, modo ab eius ramis accipit, venas subclaviæ atque thyreoideis inferioribus mittit. Nervuli eius a pari vago atque intercostali veniunt. Vasorum lymphaticorum, ad ductum thoracicum & venam subclaviam abeuntium notabilis illi copia est. In illius cavitate liquor seroso-lymphaticus, albicans, reperitur. Vid. *Wilb. Comperi* anat. C. H. tab. XXI. lit. G. *Laur. Heister* in comp. anat. tab. III. fig. XIII. & XV. tab. XXXVI. lit. N. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. III. *Eiusd.* diss. de glandulis in genere & speciatim de thymo, Gœtt. MDCCXLVI. De thymi structura & usu vid. l'Histoire de l'Acad. R. des Sciences 1759. p. 112. Memoires p. 286. tab. 22. 23. 24.

*Obs.* In avibus thymus non reperitur.

### §. XX.

Glandulæ suprarenales, (renes succenturiati, vel capsulæ atrabiliaræ) circuli segmentum quodammodo referentes, ac spongiosa substantia gaudentes, sub diaphragmate, parte sua concava, interveniente cel-

*Glandula  
suprarenales.*

Iulosa, cum renibus cohærentes, glandularum lymphatico-aggregatarum, communi velo comprehensarum, speciem præ se ferre creduntur. Substantiam illarum internam ex innumeris vasculis radiatim positis, & renis corticali similem, externam vero renum substantiæ internæ æmulam esse, ex *Lieberkubnii* experimentis elucere videtur. Vasa ab emulgentibus aliisque vicinis, interdum ab aorta atque cava oriuntur. Nervos a gangliis semilunaribus proficiscentes, venasque lymphaticas copiosissimas, ad chyli cysternam, ductumque thoracicum, abeuntes, habent. In parvis suis cavis, in quæ multa foraminula hiant, liquorem fuscum, subdulcem, foveant. *Jo. Bapt. Morgagnus* epist. anat. XX. art. XXXXII. plerumque plures atque minores caveas, tenuium membranularum laxæque substantiæ nexibus disclusas, quam unam perpetuam eamque amplam hisce partibus includi, retulit, illasque caveas fortasse inter se, & certe cum venarum radicibus, communicationem habere, arbitratus est. Vid. *W. Comperi* anat. C. H. tab. LXIII. lit. R. *Memoires de l'Academie Royale des Sciences* 1749. p. 558. *Alb. de Haller* icon. anat. fascic. III. tab. VI.

## CAP. XXVI.

*De secretionibus generatim.*

## §. I.

**F**luidum, specifica indole præditum, ex *Secretio.*  
 sanguine arterioso in aliud vas diversæ  
 structuræ naturaliter translatum secerni di-  
 citur. Hic autem non nisi generaliter de  
 secretionem acturus sum; cum speciales eius  
 recensiones singulis visceribus, atque orga-  
 nis secretoriis, commodius annectuntur.  
 Vid. *Jo. Godofr. Bergeri* diff. de secretionem  
 animali, Wittenb. MDCCXII. *Jo. de Gor-  
 der* diff. de secretionem humorum e sanguine,  
 Lugd. Bat. MDCCXXXVII.

*Schol.* Ad bilis secretionem sanguinem ve-  
 nosum, atque ad chyli secretionem etiam chy-  
 mum symbolas suas conferre, suis locis indi-  
 catum est.

## §. II.

Ipsè sanguis ex quo, organi cuiusdam *Requisita*  
 interventu, liquor secernendus est, in va- *sanguinis*  
 riis corporis locis specificum characterem *indoles.*  
 induit, ut plures istius indolis particulas in  
 sinu suo foveat, quas in liquido, alicubi,  
 ad scopum quendam, secernendo, abun-  
 dare, rerum Creator voluit. Ipsi autem  
 liquores secreti variis finibus v. c. aliis hu-  
 moribus conficiendis, nutritioni, multipli-  
 cibus in corpore actionibus, atque excre-  
 tionibus destinati sunt.